

& confidentia militet in Christo resuscitato pro Electorum salu-
te, qvam conseqvantur in Christo Iesucum eterna gloria v. 10.
(5) Christianam euθaractiar v. II. qvia sic in Christo, eum Chri-
sto, per Christum, veterem Adamum crucificere, & mortificare,
vel etiam ipsi Christo commori possumus. (6) Christianam
euζωιαν, qvia sic in Christo, cum Christo, per Christum vive-
re, vel Christo convivere valemus v. II.

17. Ex parte nostri dicitur instrumentalis causa *Mnemoso-*
phias paschalis vera fides, siqvidem hæc citidem ex omnib⁹ oracu-
li præsentis verbis elucet, licet explicitis verbis Paulus eam non
alleget, qvod colligitur. (1) *ex resurrectionis Christiana memo-*
riā, memor esto: jam autem nulla dari potest resurrectionis me-
moria sine fide, qvæ Christianis convenit, adeoq; sic hæc me-
moria fidem veram ex necessitate supponit, vel includit (2)
ex resurrectionis historia, quæ pariter, ratione nostri, fidem exi-
git; *Iesum Christum ex mortuis resurrexisse*, Christianæ fidei my-
sterium est. Hac de causa Christus aliquoties fidem in histo-
ria resurrectionis reqvirit. Discipulos Emaunticos graviter
reprehendit ob fidei defectum *Luc. XXIV. 25. Oſtuli*, & tardi
corde ad *CREDENDUM in omnibus*, quæ locuti sunt Prophetae.
Sic cum Apostolis apparuisset, paschalem pacem attulisset, ma-
nus atque pedes vulnerum vestigiis, certissimis indiciis veluti,
notatos coram ostendisset, hæc omnia fecit propter fidem in cor-
dibus ipsorum excitandam, sine qua nihil qvicquam resurre-
ctio Christi prodesse potest v. 36. seqq. sed *Lucas addit* v. 41. *Ad-*
huc autem illis non credentibus prægaudio, & mirantibus dixit:
Habetis hic aliquid, qvod manducetur? hinc oblatis cibis, nim-
parte piscis assi, favoque mellis, coram ipsis comedit, & pro mo-
re reliquias iis aſſervandas tradidit. Post autem ex Mose, Pro-
phetis, & Psalmis, omnia Mysteria passionis & resurrectionis ex-
posuit, ut fidem resurrectionis certissimam in cordibus ipsorum
gigneret. Nec successu labor earuit. Nam Discipuli creden-
tes hæc omnia cum gaudio *Thoma* post redditum narraverunt
Joh. XX. 25. cum autem is contumaciter incredulus esset, va-
riasque conditiones Salvatori resuscitato præscriberet l. d. mi-
tissimis